





11


FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**ERNESTUS**  
**TENZELL,**  
**J. U. D.**


CONSILIARIUS REGIMINIS ELECT. JUDICII  
PROVINCIALIS ERFURTENSIS ASSES-  
SOR, CIVITATIS CONSUL  
PRIMARIUS, ET REL.

*L. B. S.*

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.





I unquam arduum est inter homines  
negocium, vix ullum, quod eum,  
quo sibi constringuntur invicem  
conjuges nexus, superet, inven-  
niri videtur; Et si ulla violata  
fides DEUM habet ultorem, cer-  
tè contemta vinculi conjugalis reli-  
gio, summo periculo exposita est. Sed utinam in nego-  
cio hoc sacro, illa circumspetio ubique adhiberetur,  
quam reitantæ gravitas exigit. Hic enim deliberandum  
diu, quod statuendum est semel. Nec enim quod per-  
verlorum mores hominum sequuntur quotidiè, cœco  
imperu ad Sacrum illud Commerciū prolabi decet,  
quemadmodum incertos juvenes, variis artibus, calli-  
disque machinationibus in amoris retia expansa trahi,  
parique modo alterum quoque sexum decipi, nil fre-  
quentius accidit. Ut adeo mirum non sit, ut quos cœ-  
cus amor conciliavit animos, odium ejus loco illatum,  
eadem facilitate iterum dispellat. Quod frequentissimæ  
inter Conjuges etiam de matrimonio iterum rescinden-  
do, ortæ lites, à prudentissimo sæpe judice vix com-  
ponendæ,

ponendæ , arguunt. Ut taceam alia , quæ conjuges ad  
dissidia mille modis impellunt. Ne verò hic levi oculo  
septa illa à Divino Legislatore *Leviticorum* 18. & 20. vota  
respiciamus; Licet enim eo audaciæ hodiè nonnullos  
judicio uti videamus, ut vel in linea rectâ naturalis ju-  
ris prohibitionem in dubium vocare non dubitet; tales  
tamen conjunctiones , vel omnibus ferè Gentibus abo-  
nationi semper fuisse, videmus. Indè verò, quæ non erunt  
de prohibitione matrimoniorum , in linea collaterali  
sententiarum diversitates? Hoc quidem , quod Sum-  
mons Legislator DEUS, *Levit.* 18. & 20. per *Moyser* volun-  
tatem suam , quos connubio jungendos velit, quos  
nolit, declaraverit, constat. Neque etiam , Legibus  
illis obediendum esse , facile , quis in dubium vocabit.  
Quid verò rē non amplius integrâ , statuendm , ubi ma-  
trimonium jam consummatum , quin & Sacerdotali  
quoque nonnunquam copula confirmatum? Hic certè  
anceps quæstio videtur, utrum talia matrimonia rescin-  
denda , an verò ad evitanda mala majora, toleranda sint,  
& dispensatio locum habeat? Quid etiam si tales per-  
sonæ , quæ legibus positivis non subjacent, talia contra-  
here matrimonia intendant? Hic jam pro decisione ta-  
lium quæstionum accuratius , an allegatae prohibitions  
in linea Collaterali sint morales , an verò positivæ? in-  
quiri solet. Certè , quod attinet prohibitionem istam,  
& primō loco inter fratres & sorores, vix vel hanc esse ē  
jure moralı, seu Naturali, tutò afferere licet. Cum ē  
communi sententia , aliàs nec DEUS ab initio dispen-  
sare potuisset, cum talis dispensatio tanquam species muta-  
tæ voluntatis , imperfectionem contineret , quæ in  
DEUM non cadit. *Grot. de Jure B. & P. Lib. I. c. I. §. II.*

n. s.

z. 5. & illud absurdum sequi videretur, quod totum Genus humanum ex incestu juris Naturæ propagatum esse statuendum foret v. *Pufend. de Jure N. & G. Lib. 6. cap. 1.*  
§. 34. multò minus ergo de reliquis prohibitionibus in linea collaterali idem affirmandum. Et licet communiter hic prohibitionem tamen moralem positivam, inter personas *Levit. 18. & 20.* in linea collaterali conjungi prohibitas, vel Lege universali positivâ munitam, subesse, statuant, ut dispensationis admissionem excludant; Dubium tamen, an talis lex, (quæ implicare videtur,) reverâ detur, an non potius fragmentum sit, non omnino remotum. vid *B Brucner. in Dec. matrim. proœm. n. 26.* Neque enim satis, quis verus talium Legum positivarum character sit, constare videtur. Præsertim si & alias leges, de quibus prohibitiones in Scriptura sacra severè repetitæ, quas tamen non esse morales positivas, vel universales, fatentur plerique, conferamus. v. *B. Stryk. Tr. de Difens. sponsalitio Sccl. V. §. 17.* Indè ergo & hodiè non rarae sunt dispensationes in hisce casibus, conjugia inter fratres & sorores, si excipias; Ubi tamen, si quod res est, dicere licet, non major inter hos, quam inter reliquas collaterales, *Levit. 18.* prohibitas personas, videtur prohibitionis esse ratio. Cum autem inter tales dispensare nemo audeat, ad minimum tutiori viâ ingrediemur, si & à reliquarum personarum, Lege Divinâ conjungi prohibitarum, dispensatione abstineamus. Alia tamen nihilominus remanet non minor difficultas, dum *Levit. 18. & 20.* prohibitionis non graduum, sed certarum solummodo personarum inventantur; an etiam ad ejusdem gradus personas ista fese extendat prohibitio? Ita, e. gr. ibidem inter prohibitio-

nes expressas inveniuntur conjugia cum Sorore Germana, & consanguineâ, neutiquam tamen cum uterina; item prohibitum ducere Patrui viduam, Amitam, & materteram, non verò avunculi viduam, nec fratri & sororis filiam; Ubi licet multis argumentis contrà graduum prohibitionem laboret *B. Brucnerus in Dec. Matrim. cap. 6. n. 6. scqq.* fateor tamen me nunquam argumentis ibidem allatis plenum attribuere assensum potuisse; unicum solum nunc dubium allegasse sufficiat: fatetur B. Vir iste qui fuit alias in jure versatissimus *n. 7. d.l.*, quod distantia personarum, sanguinis vinculo invicem coniunctarum, ab ipsa Naturâ proficiscatur, & in eâ radicata sit; Cum tamen numeratio istarum, distantiarum, pro diversitate jurium positivorum, variet, incongruè planè ad prohibitiones matrimoniales, Juris Divini Moralis & positivi applicari, putat. Sed quid diversitas computandi gradus hic efficiet? Sufficiat, quod eadem sit distantia, e. gr. ratione Patrui & avunculi viduæ, & quod hæc distantia sit ab ipsa Naturâ, quounque tandem modo instituatur graduum computatio; & sic cum unius coniunctionis vinculum nuptias impedit, quare non alterius quoque, quod est ejusdem proximitatis? Qui autem contrà istas LL. prohibitiones coœunt, incestum committere dicuntur; Et quidem in linea rectâ atrocissimum & horrendum crimen est; & talis coitus, nefarius dicitur *§. 1. J. de Nupt.* à quo vel ipsa naturalis ratio humana abhorret. Nec enim hic à brutorum inclinationibus argumentum ducere licet, nisi æquali homines & bruta dictamine naturali regi, absurdè quis assertere velit. Ejusdem sententiæ videtur esse Paulus in *L. fin. ff. de ritu nupt.* Ubi incestum Jure Gentium inter tales

tales personas committi notat; Juris autem Gentium appellatione s̄æpius in Jure Romano jus Naturæ venire, dubio caret. Quod verò & in linea Collaterali incestus Juris Naturæ detur, vix tuto affirmari potest, licet quoad illos, inter quos respectus est Parentum & libero-rum, contrarium statuat Struv. Ex. 29. th. 47. rectè tamen refutatus à DN. de Lynk. in anal. ibid. præsertim cum & ipse Struv. in thes. seq. argumentum d. l. f. in contrarium alleget, quæ tamen lex generaliter de linea collaterali loquitur. Plura de hisce, occasione d. L. Jure Gentium. f. ff. de ritu rupt. in Lectione Cursoriâ proponet Præ-Nobilis & Clarissimus

## DN. HIERONYMUS Friedrich BRUCNER,

De Cujus Vitæ Curriculo sequentia nunc recensemus: Na-tus Is est Anno reparatæ Salutis 1690. die 28. Junii, Patre D. GEORGIO HENRICO BRUCKNER, P. P. O. nec non Judicir Electoralis Moguntini Assessore; Matre verò CHRISTIANA ELISABETHA, è celebri HEROLDIORUM Familiâ oriundâ; Utroq; antè aliquot Annos beate defuncto, quorum cura singulari prius informationi privatæ traditus, deinde crescentibus annis, post obitum B. Parentis, jussu B. Matris, ad Gymnasium, quod Halæ Saxon. floret, missus est; ex quo post quadriennium & quod excurrūt, reversus, Academiæ Patriæ se primo credidit, ubi præter studia Historico-Geographica, in Philosophia ductu Dn. Magistri Johannis Michaëlis Weinrichii, Rectoris nunc Lycei Meinungensis, jecit fundamenta, atque sub eodem Disputationem de Re nummaria apud Germanos, Anno 1710. habuit; Postea Tabulas Institutionum, & Lauterbachii Compendium Juris explicantem, & ulterius JCTum celeberrimum, Consultisimum

Dn.



Dn. D. Job. Henr. Meierum, Decretal. P. Publ. famigeratis. & Facul-  
tatis nostræ Seniorem, nec non Consultiss. Dn. Melchior Ludolph.  
Lilien, Cod. Prof. Publ. Ord. Collegas meos honoratis. nec non  
Dn. D. de Stockhausen, eo tempore Profess. Juris Publ. partes quas-  
dam Juris, publ. & privatim explicantes, audivit. Tribus autem  
Annis elapsis, Consilio Avunculi honoratisimi, Dn. Job. Christoph.  
Heroldi. Consiliarii & Land Drostii Hasso Homburgensis, in Präfe-  
cturam Obisfeldensem fecesit, ibique aëta perlustrando sese exer-  
cuit; Eodem tempore Academiam Julianam petuit, & ibidem per  
aliquod temporis spatium, Collegio Prædicto Viri Præ-Nobiliss. Dn.  
M. C. Maschklapp, Secretarii Ecclesiae Collegiatæ Walbeckensis, so-  
dulò interfuit. Nec oblivioni tradenda singularis Clementia Se-  
renissimi Principis DN. LUDOVICI GEORGII, Landgraffii  
Hasso Homburgensis, & rel. qua ipfi officium Commissarii, Anno  
1716. Diplomate tradito, & fide præstata gratiosissimè detulit; Eo-  
dem Anno in Patriam redux, nil magis curæ cordique habuit,  
quam ut studium Juris, quantum ingenii Vires permetterent, ad  
optatam metam perduceret; quo fine & libros consuluit, & con-  
sortium Virorum Doctorum, magni semper estimavit &c. Tan-  
dem ad Honores aspirans Academicos à Collegio nostro, ut ad-  
mitteretur ad examen consuetum, & reliqua Specimina Inaugu-  
ralia, petiit. Transmissis ergo ex Utroque Jure ad elaborandum  
Textibus, tempus more consveto destinavimus, Ipsumque ex-  
amen instituimus. Quo itaque peracto, ad ulteriora Specimina  
admissus, proximo die h. 13. h. Maji, horis locoque consuetis, Le-  
ctionem Cursoriam add. l. Jure Gentium f. ff. de Rit. Napt. & hac fi-  
nita, Disputationem Inauguralem de LEGUM COGNITIONE OECO-  
NOMO UTILI & NECESSARIA B. C. D. habebit. Ad quas Solenita-  
tes, omnes ac singuli Universitatis nostræ Proceres atque Cives,  
decenter invitantur. Publicatum Dominicâ Exaudi, die 9. hujus  
Maji Anno 1717.

(L.S.)

00 A 6454



sb.

Vorpx



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

**Farbkarte #13**

11

# FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS, **ERNESTUS TENZELL,** **J. U. D.**

CONSILIARIUS REGIMINIS ELECT. JUDICII  
PROVINCIALIS ERFURTENSIS ASSES-  
SOR, CIVITATIS CONSUL  
PRIMARIUS, ET REL.

*L. B. S.*

---

*ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.*